

non ita quemadmodum dicimus potestate seu potentia.

Actus primus. Actus qui aliam non supponit, sed expectat; ita forma substantialis est actus primus.

Actus secundus. Actus qui priorem alium supponit, eique antecedit; sic operatio est actus secundus; supponit enim formam. Existencia quoque in rebus creatis comparatur ad formam ut actus secundus; esse enim est actualio omnis formae, ut ait S. Thomas.

Actus purus. Actus qui non est admixtus potentiae. Deus est actus purus, quia nihil est ejus in potentia tantum.

Essentia. Id quo ens est id quod est.

In qualibet re sunt quaedam notae, quarum una vel altera sublata, rei conceptus constare amplius non potest. Quaedam aliae vero sunt, quibus cogitatione praecisis, vel etiam reipsa deficientibus, adhuc tamen intelligitur quid res sit. Illae igitur notae, non istae, rei essentiam constituunt. Sic, ut exemplo utar, parum refert an circulus sit majoris vel minoris magnitudinis, sit ex lapide aut papyro, &c.; quocumque enim modo haec se habeant, circuli ratio non mutatur. Circuli enim propria ratio in eo sita est, quod omnia peripheriae puncta a centro aequidistant. Idcirco si ab hac essentiali nota praescindas, circulum amplius non concipis.

Natura. Est essentia in quantum consideratur ut est principium activitatis qua ens pollet, et actionum quae ab ipso eliciuntur.

Quidditas. Nomen est quo veteres essentiam designabant. Interroganti enim quid sit res, respon-